

mae ratione, iudicio, memoria, non irascentia, θυμῷ, *non concupiscibili vi*, ἐπιθυμίᾳ. Eadem haec omnia in utroque sunt et si forte maiore aut minore virtute differunt, non tamen ob id variant speciem idque non natura, sed more atque habitu ex communi  
5 hominum mala educatione contracto.

Nam quid est virtus ex Aristotele? Mediocritas θυμοῦ, ἐπιθυμίας, τῶν λοιπῶν πάθων, *irascientiae, concupiscentiae, reliquorum affectuum animi* a recta ratione per actiones inducta. Id ne in viris, an etiam in foeminis? Aristoteles non negat in muliere non posse esse, οὐφροσύνην, ἀνδρείαν, *temperantiam, fortitudinem*, sed ait *non est eadem*, οὐχ ἡ αὐτή. Quomodo non eadem?  
10 Topicis traditur triplex idem: genere, specie, numero virtutes easdem genere non potest negari, sunt enim animalis virtutes; easdem etiam specie esse negari non potest. Sunt enim hominis  
15 virtutes; easdem numero esse negari potest. At hoc modo Socratis atque Aristotelis virtutes, fortitudo ac temperantia non sunt eaedem. Ita nulla prorsus virtus eadem cum altera.

Nobis sufficit easdem specie esse virtutes mulieris ac viri. Sunt enim eiusdem specie rationis rectae, ὁρθοῦ λόγου, eiusdem  
20 specie θυμοῦ, *irascientiae* eiusdem [350] specie ἐπιθυμίας, *concupiscentiae* eorundem specie πάθων, affectuum animae per easdem specie actiones ad eandem specie mediocritatem conductae<sup>ii</sup>. Neque verum est in Re publica Platonis ἀρχικὴν ἀνδρείαν, *principalem fortitudinem* viri, ministram vere ὑπηρετικὴν mulieris,  
25 in ea enim Re publica mulieres non ministrant, ut Athenis aut Chalcide, sed ἄρχουσι, πολεμοῦσι, φυλάττουσι, *regunt, militant, custodiunt* simul cum viris, non minus quam viri. Quare ex hoc instituto, ex eadem educatione recte deduxit Plato κατὰ τὰς ἐκείνους ἀρχάς, *secundum eius principia*, quia eiusdem naturae sint mulieres cum viris, eadem educatione edacentur, eadem cum viris munera obeant, iisdem virtutibus praeditas etiam esse. Non est ergo ibi mulieris ministra fortitudo. Falsoque id Platoni a discipulo tribuitur.

30

An vero in natura id est? Rationibus, ex definitione, efficiente, materia, forma, fine virtutum non apparuit. Fortitudo viri  
35

---

<sup>ii</sup> Corr. ex conducta